MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80628-7

AUTHOR:

SCHAAFF, ALBIN

TITLE:

DE GENETIVI USU PLAUTINO;...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1881

Master Negative #

92-80628-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schaaff, Albin, 1856-

De genetivi usu Plautino; dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet auctor Albinus Schaaff... Halis Saxonum, typis Karrasianis, 1881.

44 p. 20 cm.

Thesis, Halle, 1881.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm

REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 9-7-93

INITIALS SS


FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE GENETIVI USU PLAUTINO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS PROPOSITIS
DIE XIV. M. IUNII A. MDCCCLXXXI. HORA XII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALBINUS SCHAAFF
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
CAROLUS WUEST, STUD. PHIL.
ERNESTUS SCHROETER, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM
TYPIS KARRASIANIS.
MDCCCLXXXI.

PRAEFATIO.

Postquam studiis Ritschelii fabulae Plautinae ad fidem optimorum codicum recensitae in lucem prodierunt atque fundamentum certum ac firmum omnibus studiis, quae huc spectant, constitutum est, multi aetatis nostrae viri exstiterunt, qui industria summa ac diligentia eius genus dicendi perscrutati sunt.

At prae copia quaestionum tantum abest, ut omnes quaestiones grammaticae, quae huc pertinent, absolutae sint, ut novae in dies exsistant et permultae restent, quae accurata investigatione indigeant. Quare mihi '**de genetivi usu Plautino**' quaerere operae pretium esse visum est, praesertim cum quae 'Holtzius: Syntaxis prisc. script. lat. usque ad Terentium. Lips. 1861 vol. I p. 315 sqq.' et 'Draegerus: Histor. Syntax der lateinischen Sprache. Leipz. 1878 vol. I p. 447 sqq.', qui Holtzianum librum in rem suam convertit, de hoc casu attulerunt, neque in ordinem satis perspicuum atque clarum redacta esse neque cum multa exempla, quae memoratu digna sunt, omissa sint, satisfacere posse primo obtutu plane eluceat.

Priusquam autem ad rem ipsam accedamus, paucis explicandum videtur, quo ordine materiam disponendam esse putaverim quamque viam in exemplis afferendis ingressus sim.

Perspicuitatis causa igitur sic aptissime ordinem dissertationis instituendum putavi, ut primum de genetivo **nominibus** adscripto, deinde de iis genetivis, qui ex **adiectivis** pendent, ut ita dicam, tum de genetivis, quos **verba** assumunt, dissererem. — In adscribendis autem exemplis non tota copia eorum,

quae paene immensa est, proferenda videtur; sed ea potius eligam atque enumerabo, quae sunt memorabilia, quibus praecipue quomodo Plautus in genetivo construendo singulariter versatus sit, plane atque perspicue appareat. — Denique in ratione genetivorum, quibus poeta usus est, explicanda quam brevissime versatus sum, cum in praeceptis, quae de ea re a Madvigio, Kuehnero, Haasio, quorum libros hic illic adnotavi, prolata sunt, saepissime acquiescendum esse crederem.

Caput I.

GENETIVUS ADNOMINALIS.

In construendis genetivis, qui nominibus adiciuntur, Plautus plerumque cum aliis scriptoribus omnium temporum facit, cum genetivos et nominibus omnium generum adscribat, et pronominibus, numeralibus, adiectivis, participiis adverbiisque, quae in substantivorum vim ac potestatem abierunt. Neque multum in hac structura genetivi a posterioribus discrepat, quod quidem ex natura atque indole genetivi adnominalis sequitur. Quare operae non pretium esse videtur, omnia huius generis exempla afferre, sed pleraque silentio praeterire mihi licet praeter haec, quae commemoratione accurata digna videntur.

Priusquam autem singula huius usus exempla enumerem atque explicem, pauca praemittenda sunt, ut appareat et quae sit vis ac potestas genetivi et quae in genera usus eius omnino dispertiendus sit et quod consilium in usu genetivorum adnominalium describendo secutus sim.

'Genetivus [1]) est is casus nominis, qui loco attributi cum alia notione — sive substantivo sive adiectivo sive verbo [2]) — coniunctus nulla alia voce intercedente artissimam et naturae notionum, quae coniunguntur, aptissimam copulationem efficit,

---

[1]) cf. Kuehner: Lat. Gramm. II 1, § 82, 1; § 83, 2. Madvig: Lat. Sprachlehre 1847 § 279.

[2]) Falso igitur contendunt genetivum nisi verbo vel adiectivo notio nominalis quaedam insit atque intellegatur, ex qua genetivus quasi pendeat, explicari non posse; et iniuria ad verba nonnulla expedienda ellipsis ratio accipitur a Kuehnero l. c. § 81, 2, a Draegero l. c. § 198.

qua coniunctione notio vocis, quae genetivum assumit, definitur et plane explicatur.' Si autem vox cum alio casu nominis eodem modo conectitur, coniunctio, cum rebus externis effecta sit, levior fit. Discrimen igitur, quod inter has duas constructiones intercedit, hoc est: 'genetivo copulatio interna, ut ita dicam, alio casu externa coniunctio significatur.'

Quam definitionem si respicimus, generatim atque universe tria genera coniunctionis aptissime statuimus: primum et simplicissime quidem 'possessio' vel 'causa' quaedam indicatur, tum 'genus' quodammodo cum 'singulis partibus' copulatur, post liberrime notio aliqua per se minus perfecta ita expletur, ut addito supplemento accuratius definiatur. Quibus de causis tria genera genetivorum statuenda videntur: primum genetivi qui dicuntur 'possessivi' vel 'causales' vel 'coniunctivi', tum genetivi 'generis', qui vulgo appellantur genet. 'partitivi' et 'quantitatis', post genetivi 'supplementi', ut ita dicam, quorum fines satis longe patent, quando quidem huc referendi sint genetivi 'obiectivi', 'qualitatis', 'appositivi' vel 'materiae'; genetivos autem 'supplementi' dici posse putaverim, quod substantivum in genetivo positum quasi additamentum est, quo notio aliqua expletur atque absoluta fit. Etenim notio aliqua accuratius definitur et species rei expeditur, cum primum significatur 'possessor' alicuius rei vel 'auctor', qui quodammodo possessor appellari potest, deinde 'genus', cuius pars aliquid est, post 'res' vel 'persona', quo actio quaedam spectat, tum 'qualitas', quae alicuius rei vel hominis propria est, cumque ad extremum notio speciei notioni generali in appositionis forma apponitur.

Quae cum ita sint, hoc in capite primum agemus de genetivis coniunctivis, deinde de genetivis generis, post de genetivis obiectivis, tum de genetivis qualitatis et pretii, ad extremum de genetivis materiae.

A.

Genetivus coniunctivus (possessivus, causalis).[1]

1. Pronomen neutri generis cum genet. possessivo coniungitur: Men. 190[2]) interim nequis, quin eius aliquid indutus sies.

2. Nominibus propriis genet. poss. adscribitur[3]): a) *servorum nominibus:* Pseud. 607 eius sum Subballio; Curc. 230. Estne hic Palinurus Phaedromi? Amph. 378 Amphitruonis, inquam, Sosia; idem Amph. 383. 411.

b) *fabularum nominibus:* Merc. 5 Emporos Philemonis; ibid. 6 Mercator Macci Titi; Rud. 86 Alcumena Euripidi; Poen. prol. 1 Achillem Aristarchi.

3. Neque cum refert neque cum interest, quod verbum apud posteriores scriptores constructionem verbi 'refert' sequitur, genetivus, qui significet, cuius aliquid fieri intersit, apud Plautum coniunctus reperitur. 'Interest' vero uno tantum loco nobis traditum est: Most. 407 'pluma haut interest', nam altero loco, quo hoc verbum in editionibus legitur: Trin. 130 'quid sectiust [aut quid interest] dare te in manus' coniectura Ritschelii 'aut quid interest' in textum illatum est.

4. Eodem modo atque posteriores scriptores Plautus construit ablativos in praepositionum loco positos 'causa' et 'gratia' et cum genetivis et cum pronominibus possessivis: exempla, quorum numerus permagnus est, adnotat Ebrard: 'de ablat., locat., instrum. apud prisc. scriptores lat. usu Lips. 1879' p. 589 sq. His nominibus adiungendum est vicem, quod eodem modo constructum loco adverbii usurpatur: Capt. 397 nostrum ambarum vicem; Rud. 814 hinc istarum (scil. puellarum)

---

[1]) cf. Madvig. l. c. § 280.

[2]) In afferendis exemplis usus sum editionibus Ritschelii (Trinummi ed. altera); Fleckeiseni; G. Goetzii (Epidicus, Curculio); Wagneri (Aulularia); Spengelii (Truculentus); Parei (ed. altera 1619 instrumento critico aucta); Bothii vol. III (frgm.). Praeterea editiones Brixii, Lorenzii, Ussingii, Taubmanni-Gruteri adhibui.

[3]) Qui genetivi sane possessivi vel causales intellegendi sunt. Qua de causa voces 'servi, fabulae' in his locutionibus addendas esse, id quod facere nonnullis in animo est, nego.

vicem; Capt. 526 eri vicem; Amph. 334 vocis vicem; Truc. I 2, 57 et nostram et illorum vicem; Most. 355 meam vicem; ibid. 1145 (an meiner Stelle).

5. Praeter pronomina possessiva usitata 'meus, tuus, suus, noster, voster', quae Plautus pro genetivis pronom. personalium usurpare solet, etiam pronomine poss. 'quoius, a, um', quod 'pro genetivo cuius' ponit, utitur his locis:

a) *pron. poss. relativo:* 1. Bacch. 948 Is Helenam abduxit, quoia causa nunc facio obsidium Ilio; 2. Cist. III 1, 2 ut eorum, quoiam esse oportet te, sis potius quam mea; Pseud. 1042 Quoiam esse te vis maxume, ad eum duxero; Rud. 745 Argentum ego pro istisce ambabus, quoiae erant, domino dedi.

b) *pron. poss. interrogativo:* 1. Pseud. 702 quoia hic vox sonat? Trin. 45. Bacch. 979. Rud. 229. 333. Curc. 111; Merc. 864 nescio quoia vox; Stich. 370 quoiast navis? Merc. 720 quoia illa mulier intust? Epid. 294 quoiiast fidicina? Curc. 229 quoiam vocem ego audio? 2. Merc. 200 rogitare occepit, quoia esset; Merc. 529 dic igitur, quaeso, quoia sum; Merc. 721 quoia ea sit, rogitas? Merc. 722 vin dicam quoiast? Rud. 478 eapse cantat, quoia sit. Praeterea Holtzius l. c. p. 395 adnotat e frgm. Scythae Liturgi: Quoia, vir?

6. Pro pronomine poss. genetivus pronominis personalis usurpatur: Pseud. 5 sq. duorum labori ego hominum parsissem lubens: | Mei te rogandi et tis respondendi mihi; Bacch. 1200 tua sum opera et propter te inprobior. BACCH.: Ne tis quam mea mavellem.

Neglegentia enim quadam pro pron. poss. 'meo' et 'tuo' 'mei' et 'tis' i. e. genetivi (poss.) pron. personalium quasi in appositione ad 'duorum hominum' positi sunt; altero autem loco 'causa' vel 'gratia' supplendum est.

7. Genetivus pronominis 'ipsius', id quod apud posteriores saepe fieri solet, quasi appositio pronominibus possessivis numquam adiungitur. Ut vero Plautus pronominibus poss. maiorem vim tribuat, dativum pronominum person. 'sibi', 'mihi' addit. Cuius usus exempla haec exstant: Amph. 269 telo suo sibi; Pers. 81 suā sibi pecuniā; Asin. 72 gnatum suum sibi; Asin. 825 suo sibi gnato; Capt. prol. 5, ibid. 50 suo sibi patri; ibid. 46 sua sibi fallacia; Capt. 81 suo

sibi suco; Poen. prol. 57 suum sibi proscenium; Poen. prol. 97 suam sibi cognatam; Poen. II 1, 40 pinna sua sibi.

Hue referendum videtur etiam Truc. III 2, 30 'mea mihi pecunia'. Neque enim probo Spengelii sententiam, qui 'mihi' a more Plautino abhorrere et haud dubie corruptelam latere contendit.

B.

Genetivus generis (partitivus).[1]

I. Genetivus partitivus (proprio sensu).

1. **Superlativis** Plautus cum 'solis', tum 'cum substantivo coniunctis' genetivum partitivum qui vocatur adiungit. Praeter cetera autem memorabilia videntur exempla, in quibus superlativus a) in forma genetivi quem dicimus pretii positus est: Mil. 558 hominum me omnium minumi preti; Epid. 501 sq. omnium hominum esse — minumi preti.

b) Neque vero Plautus respuit adverbia superlativi eodem modo constructa: Merc. 421 minume gentium. idem Poen. III 3, 77; Truc. II 7, 33 me illum amare plurumum omnium hominum; ibid. II 7, 34 meumque honorem illum habere omnium maxumum.

Praeterea falso, id quod jam videbimus, 'proxume viciniae' a nonnullis adnotatur. Most. 1062 enim in codicibus exstant haec verba: proxima vicinia A B D F Z, proxima vicina C. Atque Buechelerus quidem, qui codicum scripturam retinet, ablativum 'proxima vicinia' munere locativi fungi putat. Ritschelius autem, cui codicum lectio offensioni est, 'proxume viciniae' scribi vult. Cui Lorenzius assentitur et hanc locutionem sic explicat: 'viciniae' genetivum generis ex 'proxume' adverbio locativo sicut 'loci' ex 'ibidem', 'terrarum' ex 'ubi', 'amentiae' ex 'eo' pendere. Equidem cum Brixio facere maluerim, qui ex analogia vv. Mil. 273, ubi codd. A C D 'proxumae viciniae' habent, nisi

[1]) de vi ac partitione huius genetivi cf. Kuehner l. c. § 84, 1; § 84; et Madvig l. c. § 284. § 285.

quod A 'proximae' exhibet, et Bacch. 205, qui locus hunc in modum scriptus reperitur in B 'proximae viciniae', in D 'proximę vicinę', in C 'proxime viciniae', codicum scripturam 'proxima vicinia' apte commutat in 'proxumae viciniae', quod locativum esse sicut 'militiae' pro certo habeo. Quas formas 'proxumae viciniae', 'in proxumo' etc., id quod sermonis vulgaris est, ut sermo clarior atque effusior sit, saepius pronominibus 'hic, huc' quasi appositiones adiungi recte Brixius docet (Mil. 273).

c) Quin etiam huc referre non vereor adiectiva nonnulla, quae in vim superlativi abeunt, atque genetivum partitivum assumunt: Trin. 1115 hic homost hominum omnium praecipuos; Amph. 204 viros primorum principes (die ersten cf. Capt. 825 regum rex regalior).

2. Satis usitata apud Plautum **pronomina** cum genetivis generis coniuncta sunt. Cuius modi pronomina apud Plautum inveniuntur haec;

a) **'alter, neuter, uter, uterque, quivis, qui'**, quae genetivos nullos nisi pronominum sibi adsciscunt:

alter: eorum alter Amph. 1139, ibid. 483. Poen. prol. 61; illorum alter — alter Cas. II 8, 9; earum alteram Poen. prol. 96, ibid. V 2, 135; illarum altera Mil. 62. Epid. 240. Pronomen 'alter' igitur modo genetivos pronominum assumit. Qua de causa vix dubium esse potest, quin Brixius verba, quae codicibus traduntur Men. prol. 26 'geminum alterum' summo iure retineat, cum Ritschelius pro 'geminum' scribat 'geminorum'.

neuter: Stich. 141 neutram vostrarum = vostrum.

uter: Men. 1085 uter vostrumst; 'vostrum' enim, quod in omnibus codicibus (BC vostrum, D vestro[v]) legitur, suo iure Brixius retinet. Cas. II 3, 56 nostrum uter; Aul. II 4, 42 uter vostrorum; Amph. 1050 (Ussing) nostrorum uter. — Praetera hoc pronomen hanc admittit constructionem: Trin. 228 utram — harum — artem; Cas. II 4, 13 utram harum vis conditionem.

uterque: Asin. 688 utrumque nostrum; Truc. V 1, 69 utrique mos geratur amborum.

quivis: Amph. 27 vostrum quivis.

qui (pron. relat.) Rud. 384 quippe qui quem illorum opservat.

b) Genetivos vel pronominum vel nominum admittunt: **aliquis, quis** (pron. indef.), **quis** (pron. interrogat), **qui, quisquam, quisque (unusquisque), quispiam, ullus, nullus.** Eandem structuram sequitur **'nemo'.**

aliquis: Truc. I 2, 8 (10) oenus eorum aliquis; Men. 611 familiarium aliquoi; Mil. 262 aliquem familiarium.

quis (pron. indef.) Men. prol. 23 ne quis vostrum, idem Trin. 4; Men. prol. 51 si quis vostrum; ibid. 609 numquis servorum; Asin. 742 sq. ne quis familiarium; Poen. prol. 17 scortum exoletum ne quis; Capt. 511 ecquis omnium, ita legitur in libris manuscriptis. Fleckeisenus autem 'ecquis hominum' scribit, Brixius 'omnium' deleri vult. Neque vero causa esse mihi videtur, cur a scriptura codicibus tradita recedamus. 'Omnium' enim aptissime quadrat ad nexum sententiarum et ad rerum condicionem; 'hominum' vero quid sibi velit, non intellegitur.

Etenim Hegio hoc loco secum reputat, quam bene rem, cui operam dat, gesserit, et sic pergit v. 510 sq. 'eo protinus ad fratrem, mei alii ubi sunt captivi. Rogo Philocratem ex Alide ecquis omnium norit. Subtilitate quadam addit 'omnium', ut unusquisque e toto numero servorum, qui in domo fratris servabantur, respondeat, si Philocratem noverit.

quis (pron. interrogat) Capt. 540 quist homo me hominum miserior? Mil. 174 nescio quis inspectavit vostrum familiarium.

qui (pron. interrogat) Mil. 1047 quanam ab illarum; Capt. 863 quoi deum; Men. 812 quoius rei omnium rerum.

quisquam 1. cum genetivis pronominum iungitur: Men. 994 vostrum; Amph. 1071, 1099, Poen. III 1, 24 nostrum; Most. 307. Capt. 809. Asin. 769 eorum; Pseud. 134 quorum; Pers. 489 tuorum. — 2. cum genetivis nominum coniunctum legitur: Aul. II 2, 2; Amph. 186 neque alius quisquam civium; Pers. 55; Capt. 700 codd. sic exhibent: 'nec quisquamst mihi aeque melius quoi velim'. Fleckeisenus autem (ep. crit. p. XXII) ut metrum restitueret hanc versus speciem proponit: 'nec quisquamst mi [alius] aeque melius quoi velim'. Aptiorem autem esse coniecturam Muelleri (Plaut. Pros. p. 513) Brixio probatam, qui scribit: 'nec quisquamst [hominum ad] aeque melius quoi velim' Fraesdorffius (de comparat. grad. usu Plautino. Halis 1881 p. 40) docet.

quisque: Amph. 634 quoique — hominum; Truc. II 1, 39 quamque nostrarum; unusquisque Curc. 295 ex unoquoque eorum; Asin. 153 unumquodque istorum verbum.

quispiam: Pseud. 186 quaepiam vostrarum. Ita enim est in codd. Sed recte Fleckeisenus l. c. p. XXVII, cui Muellerus l. c. p. 616 et Lorenzius assentiuntur, scribit 'quisquam vostrarum', ut et metrum emendetur et Plauti generis dicendi constantia servetur. Etenim formis 'quis, quisquis, quisquam' et de maribus et de feminis Plautus usus est; Pseud. 219 quoipiamst tuorum — conservorum; Mil. 431 sq. 'ne clam quispiam nos vicinorum inprudentis aliquis inmutaverit'. 'quispiam codd. omnes habent; sed Ritschelius, qui in duobus pronominibus genetivo 'vicinorum' adiunctis haeret, 'quidpiam' vel 'quipiam' scribendum esse coniecit. Neque vero necesse est, a codicum scriptura recedere. Etenim Brixius hunc usum pronominum Plautino sermone haud alienum esse sagaciter explicat (Mil. 431).

ullus: Most. 712 deorum ullum.

nullus: Poen. III 2, 7 istorum nullus; Rud. 281 nulla feminarum; Amph. 509 feminarum nulla.

nemo: 1. c. genetivo pronominis iunctum legitur: Aul. IV 9, 9 horum; Poen. III 1, 37, ibid. IV 2, 39 nostrorum; Stich 674 vostrum; Mil. 761 eorum; Poen. III 5, 21 tuorum. — 2. genetivum substantivi sibi adsciscit: Trin. 542 sq.; Capt. 828. Truc. II, 2, 45; Amph. 146; Mil. 1370; Cas. II 3, 28 te sene omnium senum neminem esse ignaviorem. Recte mea quidem sententia pro 'senem', quod est in codd., 'senum' recepit Bothius.

3) **Numeralia** cum genetivo conectit Plautus haec: **'unus, solus, mille, primum'.**

unus: Trin. 1023 quorum hercle unus. Stich. v. 542 in codicibus sic scriptus reperitur: 'Aere minori illi' BCD. ERAT. . MINOR ab initio legi potuit in A. Quibus vestigiis cognitis dubitanter Ritschelius scripsit: 'Erat illorum uni adulescenti'. Probabilius autem Fleckeisenus paucis litteris mutatis scripsit: 'Erat minori illi adulescenti'.

solus: Amph. 1083 haec sola — meorum familiarium.

mille voci singulari, si sola neque cum alio numerali coniuncta est, Plautus semper genetivum adscribit: modium

Mil. 1064. Stich. 587; annorum Mil. 1079; navium Bach. 928; passum Truc. II 3, 13. Men. 177; drachumarum Trin. 425; nummum Merc. 491. Trin. 954 sq. 959. 965 sq. 970. 1003. 1139. Rud. 1327. 1406; spondeo et mille auri Philippum dotis Trin. 1158.

In plurali numero posita et eodem modo constructa haec vox legitur: Trin. 152 nummum Philippeum ad tria milia; Poen. II 1, 26 sq. sexaginta milia hominum — volaticorum; ibid. II 1, 28 volaticorum hominum (supple sexag. mil.).

His adiungere liceat locos, ubi 'primum' construitur cum genetivo 'omnium', quod vocabulum et a) praemittitur et b) postponitur. Quae locutio a Plauto satis frequenter usurpata quasi in quandam formulam adverbialem abiit a) Most. 1154. Trin. 236, ibid. 933. Capt. 389. Amph. 609. ibid. 1088. Most. 397, ibid. 400. Truc. IV 3, 13; b) Trin. 523. Amph. 1135. Asin. 649. Cas. I 1, 30. Merc. 608. Pseud. 1026. Stich. 726. Trin. 98 primumdum omnium. Huc accedit haec verborum coniunctio singularis: Merc. 69 sq. multo primum sese familiarium laboravisse[1]).

II. Genetivus quantitatis (generis prop. sensu).

1. **Substantivorum** modum vel pondus significantium, ex quibus genetivus quantitatis qui vocatur pendet, usus apud Plautum frequentissimus est. Etenim praeter usitata nomina: 'pars, summa, numerus, modius, talentum, mina, nummus, natio etc.,' quibus Plautus saepissime genetivos adicit, permulta nomina modum significantia rariora reperiuntur, quibus Plautus eadem ratione, quam supra explicavimus, utitur. Quo ex numero memorabilia haec videntur: 'examen, globus, grex, cyathus, uncia, libella, aula, dynamis, vis = copia, modus, mons (mali maeroris Most. 352), messis (mali Epid. 718), granum, poculum (Truc. I 1, 22 amoris poculum meri), gutta (Most. 508 sanguinis; Pseud. 397 certi consili), vectura (Asin. 432 olivi), vehiculum

[1]) Duobus locis genetivus partitivus cum verbo 'esse' coniungitur: Cas. prol. 15 Iuniorum qui sunt; Mil. 1016 si harunc Baccharum es (scil. una).

(Pers. 782 argenti), potio (Stich. 213 mulsi), saltus (Men. 988 damni), Truc. IV 2, 52 ad hilum pensi; sic cum Spengelio lego, qui quam maxime codicum lectionem servat. Exstat enim in B 'ad illũ', in CD 'ad illum' (cf. etiam Cist. IV 2, 21, ubi pro 'hilo' eodem modo in codicibus 'illo' scribitur).

Huc accedunt duo nomina propria, quibus eadem ratione eodemque sensu atque nominibus iam tractatis genetivus quantitatis adiungitur: Amph. 1029 ulmorum Acheruns; Mil. 743 verum ubi dies decem continuos sit east odiorum Ilias. 'sit east odiorum Ilias' W. Studemund 'Zur Kritik des Plautus' 'Festgruss an die 26. Versammlung deutscher Philologen' S. 59—61 apte eruit ex A pro Ritschelii emendatione 'restans odio familiaest'.

2. **Adiectivorum neutra** notabilia, — ut silentio praetermittamus vocabula usitata: 'tantum, quantum, plus, minus', quibus saepissime genetivi adiectivorum et substantivorum et in singulari numero et in plurali positi adscribuntur, — a Plauto haec cum genetivo construuntur et semper quidem vocabulorum, ex quibus genetivi pendent, nominativi vel accusativi ponuntur:

tantumdem: Pseud. 1206 tantumdem argenti, quantum.

alterum tantum: auri Bacch. 1184; 'auri' enim, quod codd. praebent, cum Fleckeiseno retinendum est.

tantillum: Stich. 620 tantillum loci (cod. A. locum); Trin. 64 tantillum dederis verborum mihi.

quantillum: Capt. 193 argenti; Bacch. 705 auri. Semel etiam ablativus huius adiectivi cum genetivo iunctus reperitur. Pseud. 1192 'quantillo argenti te' DF, 'quantillo argenti ote' B, 'qua nullo argenti te' C, 'quantillo argenti' Pylade duce Ritschelius recepit. Sed jam veteres editores Pareus, Gruterus, quibus Lorenzius et O. Seyffertus (Stud. Plaut. p. 23) assentiunt, hunc locum recte sic emendaverunt: 'quantillo argento' (cf. Truc. II 8, 7 quantillo — opere; Poen. V 3, 48 quantae e quantillis jam sunt factae? (scil. filiae).

aliquantum: Mil. 641 amoris — humorisque; Most. 354 argenti; Cas. II 3, 33 orationis.

multum: Pseud. 1158 'jam die multum esse' in codicibus exstat, nisi quod CD 'diu' exhibent, et Ritschelius Brixio, Fleckeiseno, Bergkio assentientibus hanc codicum lectionem retinet. Aptius tamen Muellerus (Plaut. Pros. Nachträge S. 142), quem Lorenzius sequitur, ex analogia harum locutionum 'ad multum diem, multo die, multa luce, multa nocte, multo mane' scripsit 'die[m] multum esse'. (cf. Lor. adnot.).

amplius: Cist. V 1, 4 liberorum amplius; Men. 846 turbarum quid faciat amplius.

paulum: Mil. 853; Pers. 125; Poen. I 2, 102.

paululum: Poen. III 6, 7 sq. paululum praedae intus feci.

nimium: Merc. 739; Stich. 375. 379.

dimidium: voce pro 'dimidia pars', quod in fabulis Plautinis semel invenitur: Curc. 447 'dimidiam partem nationum usque omnium', utitur Plautus quinquies: Bacch. 1185, 1189 dimidium auri; Aul. II 4, 12. Amph. 1125. Pseud. 454.

Aptissime his vocibus subiungitur 'nihil', quod saepissime genetivos substantivorum, adiectivorum, pronominum adsciscit. Ex numero horum exemplorum, qui magnus est, ea modo quae commemoratione digna sunt afferam:

a) *nihil cum substantivo iunctum:* Cas. IV 3, 5 nihil facio tibi amor pericli; cf. Most. 851 nil periclist; Pers. 536 nil pericli mihi videtur. (Aul. I 2, 5 nihil est aliud quaesti).

b) *cum adiectivo:* Trin. 14 nil video esse reliqui; Mil. 407 nihil habeo certi (cf. Madvig l. c. § 285[b] p. 270).

c) *cum pronomine:* Mil. 1153 nihil ecfieri poterit huius.

3. Structuram adiectivorum, de quibus adhuc dixi, sequuntur **pronomina: 'quid** (pron. interrogat.), **quid** (pron. indefinit.), **aliquid, quicquam, hoc, id, illuc, istuc, quicquid, quicque, quod.'**

Raro autem pronomina iam memorata ita construuntur, ut 'pars' alicuius rei indicetur, id quod in adiectivis 'tantum, quantum etc.' fieri solet. Contra in hoc usu pronominum cum genetivo generis iunctorum praeter cetera 'vis et notio' genetivi generis conspicitur; conectuntur enim saepe genetivi cum neutris pronominum, ut non 'pars' alicuius rei, sed ut 'qualitas', ut ita dicam, significetur.[1]) Praeterea saepius genetivus pro nomine praedicativo positus esse videtur velut in locutio-

[1]) de vi ac potestate horum genetivorum cf. adnot. 530 Haasii ad Reisigii: Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft. Leipz. 1839.

nibus huius modi: 'quid causae est, nihil est reliqui, si lucri quid detur.'

Satis vero est haec modo exempla enumerare:

a) pron. cum substantivis iungitur: 1. aetatis: quid Merc. 290. Pers. 276; id Asin. 71; illuc Mil. 657; hoc Bacch. 343, 1090, 1100. Trin. 787; istuc Mil. 618; diei: Poen. I 2, 8 ad hoc, quod dieist; noctis: hoc Curc. 1. [Rud. 587] Amph. 154, 163, 292, 310.

2. Genetivus *personae* adscribitur, ut contemptio quaedam personae, de qua agitur, significetur: Rud. 148 sq. quid illuc est, Sceparnio, hominum? Poen. prol. 92 quid id sit hominis; Amph. 576 quid hoc hominist; ibid. 769 quid hoc est hominis; Poen. IV 2, 34 quid viri sis.

(Praeterea adnotanda videtur haec locutio: Epid. 210 captivorum quid ducunt secum = quot captivos).

b) cum pronominibus, quae ipsa raro adiciuntur: Cas. III 2, 26 si quid eius esset; Cas. IV 1, 14 huius quod futurumst; Aul. IV 10, 72 in cod. optimo B sic scriptus reperitur: 'ibi intro, ut quid huius veri sit, sciam'. Holtzius autem, cum codicis scriptura haud dubie corrupta sit, 'ut quid huius rei sit sciam' legit, sed aptius Ussingius ratione habita codicis B scripturae legere videtur 'ut quid huius verum sit'. Pronomen autem sic usurpatum Plautino genere dicendi non alienum est (cf. Brixii adnot. ad Mil. v. 1153); Merc. 738 nihil hercle istius quicquamst; Bacch. 409 si quid illorum facit; Merc. 399 horunc illa nihilum quicquam facere poterit admodum; Most. 1071 dissimulabo me horum quicquam scire.

c) cum adiectivis: Merc. 666 mihi reliqui nil quicquam iam aliud esse; Pseud. 759 quicquid incerti mi in animo prius aut ambiguom fuit (animadverte et genetivum et nominativum adiectivi secundae declinationis usurpatum esse.[1])

Adnot. I. Raro 'pars, numerus' etiam nomen in appositionis forma assumunt: Capt. 232 maxuma pars — homines; Most. 19 numerum, genus ferratile; Mil. 93 sq. meretricis (Acc.) maiorem partem; quibus locis genetivum exspectare potes.

---

[1]) Plura exempla pronominum c. genetivo coniunctorum profert Holtzius l. c. p. 324 sqq.

Adnot. II. Nonnullis locis etiam adiectiva secundae declinationis sicut adiectiva tertiae declinationis et pron. 'aliud' idem genus eundemque numerum et casum, quem nomen regens obtinet, assumunt: Mil. 905 de meo nil his novom adposivi (cf. Pers. 270 sq. nil iam mihi novi offerri pote); Pers. 688 nil mirum facit; Pseud. 434 quid mirum fecit? quid novom etc.? Mil. 893 dum ne scientes quid bonum faciamus; Pseud. 569 novom aliquid adferre; Most. 345 num mirum aut novom quippiam facit? Pseud. 861 suom si quid sumet (cf. Kuehner l. c. § 84 adn. 8).

4. **Adverbia** cum genetivo generis constructa haec tantum reperiuntur in fabulis Plautinis praetermisso satis vel sat, quod usitatissimum est:

a) **adverbia quantitatis:**

adfatim cum genet. plurali conectitur: Men. 457 adfatimst hominum; Mil. 980 tibi divitiarum adfatimst; frg. Clitell. Both. III p. 555, 18 aliorum adfatim est.

parum: Merc. 692 parumne hoc est malae rei, quod; Bacch. 671 sq. auri dempsisti parum. — Huc accedit

largiter: Rud. 1188 illic inesse argenti et auri largiter; Rud. 1315 largiter mercedis indipiscar; Truc. V 11 corrupte in B sic scribitur 'attutabeat ueteri fuinil agiter', in C 'actute habeat ueteris uinil agiter'. Quibus e vestigiis apte eruit Seyffertus 'lacte ut habeat, veteris vini largiter' et totum versum sic scribit 'opust nutrici, lacte ut habeat, veteris vini largiter'.

Praeterea Holtzius l. c. p. 329 Ritschelium secutus adnotat 'magis operae si sit' Pseud. 377. Sed haec scriptura iure in dubium vocatur. Ritschelius quidem in A scriptum reperiri MAG.. OPERASI contendit, ut facile restitui possit 'magis operae si sit', praesertim cum codd. reliqui 'operae si' praebeant. Sed Studemundus affirmat in cod. A loco vocabuli 'magis' a Ritschelio scripti quatuor litteras legi, quarum primam, quae plane cognosci possit, litteram 'm' esse; secundam autem 'p', 'e', 't' vel 'i', tertiam 'h', 'r' vel 'a', quartam 'p', 'e', 't' vel 'i' intellegi posse. Quibus vestigiis cognitis hanc coniecturam statuit 'mihi operae si sit'. Qua in emendatione acquiescendum esse mihi videtur, praesertim cum locutio 'operae si sit' cum dativo iuncta satis usitata apud Plautum sit,

cf. Truc. IV 4, 30 (mihi); Mil. 818; Merc. 10; Cas. V 2, 5; Amph. 151.

b) **adverbia loci:**

usquam gentium: Mil. 684. Aul. III 1, 8. Poen. IV 2, 3. Pseud. 98. Coniecturae debetur, quod Lorenzius Buggium (Philol. XXVIII S. 564) secutus edidit Pseud. 398 'neque adeo argentist [nummus usquam gentium].

nusquam gentium: Merc. 606. Pseud. 402, 405. Men. 262. Amph. 620, 686. Cas. prol. 70. Epid. 335.

ubi gentium: Pseud. 619. Rud. 469. Epid. 678. Truc. V 1, 22; ubinam gentium Merc. 434; ubi terrarum Amph. 336. Asin. 32; ubi loci Merc. 986. Rud. 1161. Capt. 958; *ubiubist* gentium Mil. 1379. Asin. 287.

quo gentium: Bacch. 831. Rud. 824.

quoquo gentium: Merc. 858.

unde gentium: Pseud. 966. Asin. 90. Cist. IV 1, 16. Epid. 483.

ibidem loci — ubi: Cist. II 1, 52.

(de 'minume gentium' cf. superlat.).

c) **adverbia temporis.**

Praeterea Plautus adverbia nonnulla, quae per se locativam notionem prae se ferunt, tralato sensu cum genetivo coniungit. Induunt enim notionem ac potestatem adverbiorum temporis hae locutiones:

interea loci: Men. 446. Truc. I 1, 11. Pseud. 266.

postidea loci: Stich. 758. Cist. V cat. 3.

post id locorum: Cas. I 1, 32. Poen. I 1, 16. Truc. III 1, 16.

adhuc locorum: Capt. 385.

Adnot. III. 'Ex', 'de', 'ante' praepositiones Plautus pro genet. partitivis posuit his locis:

ex: Stich. 120 ex malis multis malum quod minumumst; Trin. 94 ex amicis certis mi es certissimus. Poen. V 4, 31 e multis maxumumst. Most. 337 illi ego ex omnibus optume volo. Pseud. 392 ex illis multis unum. Stich. 11 sq. unus unice civibus ex omnibus. Men. 370 unum ex omnibus. Truc. I 2, 84 te unum ex omnibus amat. Most. 880 solus — ex plurumis. Asin. 208 unice unum ex omnibus. Pseud. 390 pauci ex multis sunt amici. Stich. 343 ex multis nequiorem nullum. Aul. II 2, 29 neque illo quisquamst alter hodie ex paupertate parcior. Both. III p. 560 frg. 7 o amice, ex multis une, Chephalio, mihi.

de: Rud. 1077 neque partem — istinc de istoc vidulo. Most. 1126 de sodalitate solus sum orator datus. Capt. 482 unum ridiculum de dictis melioribus; cf. Stich. 400 discam de dictis melioribus. Pseud. 1164 dimidium — de praeda. Most. 150 quo neque industrior de juventute erat (scil. quisquam).

Huc fortasse referendae sunt etiam hae locutiones: Asin. 518 ecqua pars orationis de die dabitur mihi? Truc. prol. 1 sq. perparvam partem postulat Plautus loci | De vestris magnis atque amoenis moenibus. (Poen. III 3, 28 boni de nostro tibi nec (scil. quicquam) ferimus; cf. Mil. 905 de meo nil his novom adposivi). Rud. 1287 'de bonis quod restat reliquiarum', quo loco praepositio usurpari videtur, ne duo genetivi partitivi se excipiant.

ante: Asin. 858 scito illum ante omnis minumi mortales preti (scil. esse).

C.

Genetivus obiectivus.[1]

In construendis genetivis obiectivis Plautus satis libere versatur, cum non solum substantiva, quae e verbis transitivis ducuntur, sed etiam alia nomina saepe cum genetivo coniungat.[2])

Sed quoniam longum est omnia eius modi substantiva enumerare, satis est exempla rariora, quae mentione digna videntur, afferre: Trin. 1052 optio duarum rerum (Entscheidung zw. zwei Dingen), sed hunc versum sicut v. 1053 'non eiusdem manus vel recensionis esse atque eos qui praecedunt' perspexit Bergkius, cui Ritschelius, Fleckeisenus, Brixius

¹) Pro genet. obiectivis etiam praepositiones in usu fuisse multis exemplis probatur.

²) Satis frequens etiam usus est nominum concretorum in 'or' et 'ix' exeuntium ut 'occisor, osor, amator, proditor etc.; spectatrix, suppostrix all.' De duplici natura horum nominum cf. Madvig l. c. p. 281 adnot. 1.

assentiunt; consultatio nuptiarum Epid. 282 sq.; argenti circumductio Capt. 1031; inopiae excusatio Asin. 534; tui fiducia Most. 37; scapularum confidentia Asin. 547; fides — argenti Pers. 785; Amph. 108 usuramque eius corporis (animadverte et genet. obiectivum et genet. subiectivum positum esse) sicut Amph. 1135 Alcumenae usuram corporis; Merc. 832 usus, fructus, victus, cultus harunc aedium; Amph. 472 sq. satietatem — illius; Rud. 1414 sq. iurisiurandi volo gratiam facias; Rud. 1317. Mil. 1355 habeo magnam gratiam rerum omnium; Trin. 418 argenti ratio; Pers. 643 suarum se miseriarum in memoriam; Poen. V 4, 15 quem penes spes vitae sunt hominum omnium (ex eodem nomine et genet. possess. et genet. obiectiv. pendet); Rud. 180 errationis fecerit conpendium; Bacch. 168 sq. libertas — orationis; Bacch 252 istius hominis ubi fit quomque mentio (et saepius); eorum inopia Rud. 398; omnium copiarum atque opum auxili, praesidi uiduitas Rud. 664 sq.; cibi uaciuitate Curc. 319; Amph. 475 antiquam in coniugis concordiam; Amph. 841 deum metum et parentum amorem et cognatum concordiam; Trin. 737 eius ob amicitiam patris (Freundschaft gegen dessen Vater); Epid. 438 virtute belli; Cas. V 2, 12 inlecebram stupri. —

Amph. 647 meus victor vir belli; Bacch. 1105 socium aerumnae et mei mali; Mil. 1013 'socium tuorum consiliorum' Ritschelius codd. secutus legit; Hauptius autem, cui Brixius assentitur, (Herm. II 215) 'sociennum' substituit; Poen. III 4, 35 malae rei inlices; Bacch. 1167 probri perlecebrae et persuastrices.

Saepenumero pro genetivis substantivorum genetivi gerundii vel rarius gerundivi adiciuntur nominibus cf. append. II.

D.

Genetivus qualitatis et pretii.

I. **Genetivi qualitatis** eodem modo atque plerumque apud alios scriptores nominibus appellativis et semper quidem cum attributo coniuncti adduntur, ut qualitas, quae homini vel rei tribuitur, accuratius exprimatur.

a) eius modi: Bacch. 676; Trin. 337; Rud. 127.

huius modi: Bacch. 66; Trin. 795; Capt. 1033; Amph. 938 multa eveniunt huius modi; Amph. 941; Poen. IV 2, 2; ibid. V 4, 101; Mil. 1023; Pseud. 823. Both. III p. 546 Querol. v. 45 cum responso huius modi.

istius modi: Rud. 321; Epid. 119; Merc. 144; Most. 746. isti modi: Truc. V 1, 38 hominem isti modi (cf. Speng. adnot.). Etiam in verss. priore loco commemoratis pro 'istius modi', quod codd. praebent, Ritschelius (opusc. II p. 692 sq.) 'isti modi' scribendum esse contendit. Quamquam equidem non persuasum habeo, hanc commutationem lectionis codicum esse necessariam.

quoius modi: Trin. 501; Most. 817. 818. 908. 1117. 642; Rud. 83. 422. 424; neque enim mihi codicibus accurate pervestigatis necesse videtur his locis a codicum scriptura recedere et cum Ritschelio 'quoius modi', quod codd. praebent, in 'quoimodi' commutare (cf. opusc. II p. 727).

De his exemplis separandi sunt tres versus, de quibus, cum in diversas partes discedant editores, accuratius dicendum est. Eorum primus est Pers. 386 'Quoius modi hic cum fama facile nubitur'? In C legitur 'Quoivif modi', in A 'CUIUSMODI'. Ritschelius autem enunciatum interrogativum statuit et sic scribit: Quoius modi hic cum fama facile nubitur? Magis vero arridet Lorenzii lectio, qui verba codice C tradita retinens hunc in modum legit: 'quoivismodi hic cum fama facile nubitur'; quoivismodi i. e. 'cuiusvismodi' (mit einem Rufe von jeder beliebigen Art, sei er auch noch so schlecht), quod iam Guyetus sagaciter recepit.

Alter autem locus est Pseud. 741, ubi legitur in A 'ME I LAMMELQOIUSMODI'; in B 'melinam mel quouifmodi'; in CD 'mellinam mel quouifmodi'. Ritschelius autem hanc huius versus speciem proponit: 'murrinam, passum, defrutum, melinam, mel quoiquoimodi'. Ducibus vero Lorenzio, Luchsio, Spengelio locus eodem modo sanandus videtur atque versus, qui iam tractatus est. Etenim 'quouif', quod e codd. BCD erutum est, pro 'quoivis' librariorum errore scriptus esse videtur. Qua de causa cum Lorenzio hunc versum deleto 'mel'

vocabulo sic scribendum esse puto: 'múrrinam, passúm, defrutum, méllinam quoivísmodi'.

Tertius denique versus, de quo hoc loco breviter agendum est, est Bacch. 400. Perperam enim et depravate hic locus codd. B C D hunc in modum exhibetur 'qua cuiufmodi'. Quibus e vestigiis coniecit Ritschelius, quem editt. recentiores sequuntur, hanc formam 'quoiquoimodi'; et sic legit: 'malus, bonus quoiquoimodi'. Atque mea quidem sententia dubitari potest, num fortasse ex analogia vv. Pers. 386. Pseud. 741 etiam hoc loco scribendum sit 'quoivismodi', ut totus versus sic fere legendus sit: 'Sísne necne, ut ésse oportet: málus bonus quoivísmodi'.

b) Huc accedunt hae locutiones minus usitatae: Stich. 383 unguenta multigenerum multa. (cf. Buecheler: lat. Declination ed. Wickede p. 86, 213); Pseud. 1196 hominem nulli coloris; Men. 100 ipsus escae maxumae; ibid. 269 homo iracundus, animi perditi; Aul. II 4, 46 trium litterarum homo; Capt. 855 tui cotidiani victi ventrem; Poen. I 2, 168 non ego homo trioboli sum; idem Poen. II 1, 17 non homo trioboli; Both. III frg. Colax p. 558 Batiolam auream habebat octo pondo; Poen. V 4, 91 multorum annorum miserias; Most. 82 paucorum mensum sunt relictae reliquiae; Truc. II 3, 13 mille passuum peperit moram; Stich. 489 'uni subselli virum', quam lectionem contra Ritschelium, qui ex Pii coniectura scripsit 'imi subselli', defendit Luchsius (Genetivbildung der lat. Pron. S. 8), cuius lectio Brixio probatur. Item legitur Capt. 471 'uni subselli' Pareo teste in cod. B, cum falso Pareus, quem Fleckeisenus sequitur, scribat 'imi subselli'.

II. Genetivi pretii et mensurae.

magni preti: Mil. 145. Curc. 167. Stich. 235. Cas. I 1, 10.

minumi preti Mil. 558. Bacch. 444. Trin. 925. Cas. III 4, 4. — Epid. 494 'me emunxisti mucidum minumi preti' sicut Men. 489 flagitium homonis, subdole ac minumi preti.

Epid. 410 servom graphicum et quantivis preti.

His subjungere liceat 'nihili', 'non nauci', 'pluris', ex quibus 'nihili' frequentissime usurpatur, 'nauci' et 'pluris' semel tantum leguntur. Et ita quidem 'nihili' vocabulo Plautus utitur, ut id a) et cum aliis vocibus conectat et b) solum quasi adiectivum in vocativo casu positum adhibeat.

nihili a) *nominibus adiectum.* Mil. 180. Mil. 285. Bacch. 904. 1188. Trin. 1013. 1017. Truc. II 3, 12. Truc. II 7, 40. ibid. III 2, 27 homo; Cas. III 2, 29; Cas. II 3, 22. Truc. IV 2, 51 nihili me. Merc. 125; Stich. 189. Both. III p. 556. Clitell. frg. 24 nihili vir es.

nihili b) *solum*: Asin. 472 inpure, nihili. Cas. II 3, 29 unde is, nihili?

Truc. II 7, 49 hominem non nauci.

Men. 680 bis tanto pluris pallam.

His genetivis pretii apte adiungitur unum exemplum genetivi exclamationis qui dici potest, qui ad analogiam quandam allocutionum 'minumi preti', 'nihili' (cf. exempla supra enumerata) formatus videtur: Most. 912 di inmortales, mercimoni lepidi!

E.

Genetivus appositivus (materiae.)

(Genetiv des Inhalts).

In usu genetivi appositivi Plautus ab aliis non discrepat nisi eo, quod saepissime personarum genetivos ita usurpat, ut contemptionem quandam significet. Cuius genetivi exempla, cum numerus non magnus sit, omnia fere afferam:

a) scelus viri: Mil. 1434. Curc. 614. Truc. II 7, 60; scelus pueri: Pers. 192; Gripi scelera: Rud. 1178; senapis scelera Pseud. 817; flagitium hominis Men. 489. 709. Asin. 473. Cas. II 1, 8 ibid. III 2, 22; monstrum mulieris Poen. I 2, 61; cf. Merc. 755 satis spissum filum mulieris; deliciae pueri Pers. 204; frustum pueri Pers. 849; allex viri Poen. V 5, 31; coqui sublingio Pseud. 893; (umbra's amantum Mil. 625); hominum mendicabula Aul. IV 8, 3; (Cas. III 1, 1 amici anne inimici — imago).

b) Poen. V 4, 14 genus — hominum; Curc. 393 de Coculitum prosapia; Most. 1049 senatum congerronum; Asin. 156

clavo Cupidinis; Poen. I 1, 70 amoris macula cf. Capt. 841 omnis maculas maerorum; Truc. II 1, 4 ob amoris praedium. cf. Cist. II 1, 4 in amoris rota; Truc. I 2, 39 rem amoris; Amph. 633 res voluptatum; Truc. IV 3, 54 vini vitio; Pers. 49 amoris vitio cf. Aul. IV 10, 15; ibid. IV 10, 65 inpulsu adulescentiae; Rud. 524 gloriam aritudinis; Trin. 323 indoles industriae; Mil. 599 nostri spolia capiat consili; Mil. 883 tuae loream orationis; Mil. 502 supplicium virgarum. 'virgarum', quod in libris exstat, recte Brixius et Lorenzius restituerunt pro 'virgeum', quod Ritschelius Bentleio duce in textum recepit. Trin. 628 sq. si in rem tuam, Lesbonice, esse videatur gloriae aut famae, sinam; (fons viti et peiuri Truc. II 7, 50); Most. 1042 verbum nauci; Amph. 68 pignus — togae; Most. 60 orationis operam; Merc. 409 elogiorum — carbonibus; Pseud. 1108 nomen servitutis; cf. Pseud. 991. Bacch. 284 nomen eius Archidemidis (animadverte duo genetivos ex eodem nomine pendere); Most. 561 sortem argenti; Capt. 153 edundi exercitus = ciborum. (cf. Poen. prol. 34 sermonis (Acc.) fabulandi).

Semel etiam genetivus gerundii eodem modo positus legitur: Pseud. 5 sq. duorum labori ego hominum parsissem lubens | Mei te rogandi et tis respondendi mihi (de hoc usu cf. dissertatiunculam dilucide et sagaciter scriptam ab Hoffmanno in Fleckeis. annall. anni 1874. p. 544 sqq.

Appendix I.

De usu genetivi pron. personalium.

I. Pro genetivis pron. personalium coniunctivis (poss.) pronomina possessiva 'meus, tuus etc.' in usu esse solent. Sed nonnullis locis etiam genetivos pron. personalium ipsos reperiri supra (A. 6) vidimus. Praeterea 'pro pronominibus poss. cum genetivo 'omnium' coniunctis genetivos pron. personalium a Plauto usurpari hi loci docent: Pseud. 584 inimicum ego hunc communem meum atque vostrorum omnium; Amph. prol. 4 res rationesque vostrorum omnium; cf. praeterea Poen. I 2, 71 quom ornatum adspicis nostrum ambarum.

II. Genetivos partitivos pron. personal. in 'orum, arum, um' exire permultis ex exemplis elucet: vostrorum: Most. 280. Aul. II 4, 42; vostrarum Stich. 141. Pseud. 186; nostrorum Amph. 1050 (Ussing); Poen. III 1, 37, ibid. IV 2, 39; nostrarum Truc. II 1, 39; vostrum Men. 1085. Amph. 27. Men. 994. Men. prol. 23. 51. Trin. prol. 4. Stich 674. nostrum: Asin. 688. Amph. 1071. 1099. Poen. III 1, 24. Cas. II 3, 56. Quas formas coartatione quadam et contractione ortas esse facile cognoscitur e formis: meum Pseud. 581. Pers. 391. Trin. 656 all.; tuum Poen. V 2, 102; nostrum Capt. 324. Men. 134; vostrum Mil. 174, quas pro formis in 'orum, arum' exeuntibus positas esse plane atque dilucide apparet.

III. Genetivi supplementi has formas prae se ferunt: Trin. 343. Mil. 1033 'tis'; 'mis' testibus veteribus ? Capt. 765 (cf. Corssen I 313); 'mei' Trin. 822. Amph. 442, Pseud. 308 all.; 'tui' Mil. 1049. Trin. 431. Men. 1090. Mil. 971 all.; 'sui' Trin. 284. Rud. 49. Cist. I 1, 33. Genetivi autem 'mei tui' pro 'mis, tis' positi et 'sui' originem ducunt ex pron. possessivis.

Semel etiam genetivus 'vostrum' cum gerundivo coniunctus usurpatur; Rud. 1145 opesque spesque vostrum cognoscendum.

Appendix II.

De usu genetivorum gerundii et gerundivi.

I. In usurpandis genetivis gerundii absolute positis pro genetivo nominis Plautus ab aliis non differt nisi eo, quod multis substantivis et rarioribus quoque gerundium adicit ut saepe: 'copia, potestas, tempus'; rarius: locus (Mil. 601. Capt. 212); conpendium (Pseud. 605); lubido (Trin. 745 sq.); occasio (Capt. 117, Amph. 1044 (Ussing), Epid. 271); satietas (Poen. I 2, 6); via (Poen. III 3, 16).

II. Si autem e gerundio notio aliqua pendet, Plautus duplici utitur dicendi ratione. Etenim a) cum aliis forman gerundivi usurpat: Merc. 850 date ... conveniundi mi eius celerem copiam; idem Capt. 748; Bacch. 487 ut [illi] illius inspectandi

mi esset maior copia; Truc. II 4, 19 quoniam tui videndi copiast; Capt. 1008 lucis das tuendi copiam; Amph. 638 dum viri mei fuit mi potestas videndi; Trin. 365 sq. fictorem probum vitae agundae; Truc. II 2, 38 potestatem coloris ulli capiendi.

Quin etiam gerundivum plurale sic constructum a Plauto non respuitur. Rud. 1145 opesque spesque vostrúm cognoscendúm; Capt. 889 liberorum quaerundorum causa.

vel b) gerundium sibi eum casum nominis adsciscit, quem verbum, ex quo gerundium ducitur, regit: Trin. 1131 repetundi id copiast; Capt. 529 sq. nec copiast [me expediundi]; Men. 687 te defrudandi causa; Pseud. 5 sq. duorum labori ego hominum parsissem lubens | mei te rogandi et tis respondendi mihi; — Stich. 2?0 potestas adipiscundist gloriam; Cas. II 2, 16 nec mihi ius meum obtinendi optiost; Curc. 706 dicundi, non rem perdundi gratia; Aul. IV 10, 76 spatium ei dabo exquirendi meum gnatum factum; Capt. 743 breve spatiumst perferundi quae minitas mihi.

III. Semel duo genetivi et pronominis et gerundii cum uno nomine coniuncti leguntur: Capt. 852 nominandi istorum tibi erit magis quam edundi copia'. cf. de hoc usu Brixii adnot.

Caput II.

ADIECTIVA.

Cum adiectivis apud Plautum saepe coniunctus invenitur genetivus, ut vis eorum accuratius definiatur et quasi certis finibus circumscribatur [1]). Nonnulla autem ex his adiectivis nullo fere discrimine etiam cum aliis casibus coniunguntur. Coniunctio autem cum genetivo artissima, qua notiones duae quasi in unam notionem coalescant atque concrescant, cum ablativo autem levior est.

A.

Ex iis **adiectivis, quibus alii scriptores genetivum adiungunt,** apud Plautum haec cum genetivo coniuncta exstant:

adsimilis (Lucr. Ov.) [2]): Merc. 957 quasi tu nunquam quicquam adsimile huius facti feceris.

conpos: Capt. 41 et suum erum faciet libertatis conpotem; ibid. 217; 622; Amph. 643 laudis conpos; Epid. 559; Truc. IV 3, 61; Pers. 256 argenti mutui [conpos] ut egenti opem adferam. 'conpos' Ritschelius textui inseruit; quamquam num hoc iure fecerit dubitari potest.

conscius: Rud. 1247 ne conscii sint ipsi malefici suis; etenim recte ab editoribus recentioribus 'malefici' scribitur pro 'maleficiis', quod Pareo teste libb. manuscripti BC exhibent.

consimilis: Capt. 116 liber captivos avis fere consimilis est. Capt. 123.

---

[1]) cf. de notione ac vi genetivi adiectivis adscripto Haasii l. c. extremam adnotationem 525.

[2]) Nomina uncis inclusa eos indicant scriptores, qui id adiectivum, de quo agitur, eodem modo construunt atque Plautus.

cupidus[1]): Curc. 98 veteris vini sum cupida; Poen. I 1, 51 auri cupidus; Pseud. 183 'vini modo cupidae'. Codd. quidem 'vino' praebent. Item testatur Nonius, p. 394 et 500, Plautum hac dativi forma usum esse, sed 'deceptus vetere vitio scripturae, quod defendebat Lipsius' (Ritschel). Qua de causa iure 'vini modo cupidae' ex analogia v. Curc. 98 Ritschelius restituit[2]).

dignus (Tacit. ? Cic. poetae): Praeter ablativum saepe cum 'dignus' coniunctum velut Trin. 505. Mil. 342. Pseud. 272. Bacch. 1055 sq. cruciatu malo dignum. Merc. 395, ibid. 978 all.; uno loco restitutus est genetivus: Trin. 1153 'non ego sum dignus salutis'. Nam ita scripsit Ritschelius auctore Nonio (p. 491), quamquam in Plauti codd. scribitur 'dignus salute'.

exheres[3]): Bacch. 849 nive exheredem fecero vitae suae.

expers[4]): Pseud. 498 quapropter te expertem huius amoris habuerim; Amph. 170 sq. dominus dives operis te et expers laboris — posse retur.

gnarus[5]): Rud. 210 nec loci gnara sum; Asin. 551 inductoresque acerrumos gnarosque nostri tergi.

---

[1]) studiosus quod mireris Plautus cum dativo coniungit analogia verbi, ex quo hoc adiectivum originem ducit: Mil. 802 qui nisi adulterio, studiosus rei nulli aliaest inprobus.

[2]) 'cupidus' bis cum substantivo in unam vocem concrevit: 'Pseud. 1132 damnicupidos; Trin. 100 turpilucricupidum' sicut 'lucripeta, lucrifugas'.

[3]) 'exheres' semel cum ablativo coniungitur eodem sensu: Most. 234 ut ego exheredem meis bonis me faciam.

[4]) 'expers' ter ablativum assumit: Amph. 713; Asin. 45 expers sis metu; Pers. 509; et ita quidem, ut discrepantia sensus inter has duas constructiones esse non videatur. Nam Asin. 505 vulgo quidem in editt. (Both., Fleckeis.) est 'expers matris inperiis sies'. Sed Pareo teste codd. 'inperii sies' praebent neque esse videtur, cur codicum scripturam, quam Ussingius quoque defendit (cf. eius adnot.), refutemus et cum Bothio, Fleckeiseno 'inperiis' vel 'inperio', quod Luchsio magis placet, scribamus. Primum enim 'inperi' singularis ad huius loci sententiam aptior est quam pluralis 'inperiis'. Deinde vers. septenarium trochaicum in duos iambos exeuntem non laudandum quidem esse, sed ferendum iam perspexit Ussingius.

[5]) gnaruris cum 'esse' coniunctum transitivi verbi potestatem induit: Most. 100 'simul gnarures vos volo esse hanc rem mecum', quem versum Ritsch. Plautinum esse negat, quod eo 'ipsius Plauti sermo dilatatus est simili loquacitate atque qua prologi non Plautini languent'.

ignarus: Poen. III 3, 43 se peregrinum esse huius ignarum oppidi.

inanis: Stich. 526 omnium me exilem atque inanem fecit aegritudinum.

incertus (Ter. Liv.? Tac. auct. bell. Afric.): Rud. 213 incerta [sum] consili.

[indigus (Verg.? Tac. Lucr. Plin. n. h.): Pseud. arg. II 2 nummorum indigus].

inmemor[1]): Stich. 48 me credi esse inmemorem viri.

inperitus: Stich. 104 inperitus rerum et morum mulierum.

inpos (Sen. Fronto. Apul.) semper cum genetivo 'animi' iunctum reperitur: Men. 110. Bacch. 614. Trin. 131. Cas. III 5, 7. Truc. IV 3, 54.

largus[2]) (Verg. Hor. Luc. Plin. etc.): Asin. 533 largus lacrumarum.

lassus (Hor.): Cist. II 1, 8 ita me amor lassum animi[3]) ludificat.

liber (Hor. Ov.): Amph. 105 quam liber harum rerum et multarum siet.

memor: Merc. 996. Pseud. 481. Stich. 578 capti consili memorem mones.

miser (Hor. Plin. pan. Stat. Theb. Ter.): Cist IV 2, 3 petulantia mea me animi miseram habet.

onustus (Tac. auct. bell. Afr.), quod plerumque sicut apud alios ablativum quem dicimus instrumentalem assumit, duobus locis cum genetivo 'auri' coniungitur: Aul. IV 2, 4; ibid. v. 10.

orbus[4]) (Ov.): Rud. 349 orbas auxilique opumque (scil. me et Palaestram).

---

[1]) De constructionibus aliis et adiectivorum et verborum: cum infinitivo, c. acc. c. inf. etc. cf. ea, quae collegit atque exposuit Guil. Votsch: Quaestiones de infinitivo usu Plautino. Hal. 1874.

[2]) Etiam ablativus ex adiectivo 'largus' pendet: Asin. 598 opera ut largus est nocturna.

[3]) 'animi' autem locativam notionem, id quod nonnulli ut Draegerus accipere volunt, intellegendum esse nego.

[4]) Capt. 818 autem Plautus ablativum adiectivo 'orbus' adicit 'qui concinnant liberis orbas ovis'.

par[1]): Rud. 49 erat ei hospes par sui.

particeps[2]): Pseud. 11 neque tui participem consili quemquam facis; Epid. 266 fac participes nos tuae sapientiae; Truc. IV 2, 34 do[nati] obsoni participem fieri. — sic recte hunc locum mutilum, qui in codd. hunc in modum scriptus reperitur: 'do obsoni', Spengelius restituit. Mil. 1013 participem insidiarum. In libris quidem reperitur 'consiliarium', sed 'e glossemate'. Hauptius autem (Herm. II 215), cui Brixius et Lorenzius adstipulantur, sagaciter emendavit 'insidiarum'.

persimilis: Pers. 698 forma persimilem tui.

plenus saepissime sicut apud alios scriptores assumit genetivos omnium generum et sensu proprio et tralato: Most. 379 aedis plenas convivarum et mulierum. Rud. 548 quod plenum argenti fuit. Pseud. 380 negoti nunc sum plenus. Men. 581 litium pleni (scil. viri). Mil. 90. 423. 513. 783. 1034; Merc. 574. Bacch. 153. Trin. 751. Rud. 319. Amph. 777. Aul. IV 8, 9. IV 2, 15. V 1, 13; Epid. 152. Poen. I 2, 44. I 2, 101. Curc. 318. Pers. 392, ibid. 507. Mil. 22 gloriarum pleniorem. Mil. 512. Poen. V 5, 34 sq.; Rud. 651 fraudis, sceleris, parricidi, periuri plenissumus[3]).

potens (Hor. Ov. Tac. Liv. Curt. Quint. all.): Poen. V 4, 9 pacisque potentes cf. praeterea adiectiva composita, quae huc pertinere videntur: multipotens: Bacch. 652. Trin. 820. Cas. IV 4, 17. caelipotens Pers. 755. viripotens Pers. 252. omnipotens Poen. I 2, 63. salsipotens Trin. 820.

prodigus (Hor. Ov. Vell. poster.): Most. 875 peculi sui prodigi.

---

[1]) Quatuor locis 'par' cum dativo coniunctum occurrit, ter cum dativo personae: Curc. 506 parissumi estis hibus [Pseud. 933 qui malis par mihis?]. Capt. 315 male merenti par erit. Huc accedit Trin. 279 feceris par tuis ceteris factis.

[2]) cf. hanc adiectivi 'particeps' constructionem: Aul. IV 1, 19 ut quae fierent, fieret particeps.

[3]) Semel 'plenus' adiectivo in codicibus ablativus adscribitur, id quod apud posteriores saepius usu venit: Merc. 881 caelum ut est splendore plenum. Sed propter constantem Plauti usum non dubito, quin cum Acidalio pro 'splendore' scribendum sit 'splendoris'.

reus (Verg. Ov. Liv. Plin. Quint.): Cist. I 3, 16 quoniam reum eius facti nescit qui siet. Both. III p. 543. Querol. v. 13 furti, post et sepulcri violati est reus.

similis constructum reperitur cum genetivis et personarum et rerum; Mil. 448. 519. Men. 1089 sq. Most. 128. Trin. 284. Capt. 582. hoc loco codices quidem 'tibi', quod Ussingius retineri vult, exhibent; sed cum Fleckeiseno 'tui', tamquam magis Plautinum, esse scribendum puto adductus versibus Rud. 500. Amph. 284. Men. 1090; — Amph. 267. 442. 601. 856. Asin. 68. Truc. II 6, 24. Men. 1088. Asin. 241. 681. Mil. 698. 699; Most. 89. 91. 119. Bacch. 913. Cist. I 1, 82. Truc. I 2, 68. II 1, 16. Pers. 14; Pseud. 57; verisimile Mil. 291. Pseud. 403. Most. 13. 93. Aul. I 2, 33. — Restant autem complures loci, quibus a nonnullis editoribus 'dativus' adiectivo 'similis' adscribitur: Mil. 240. Bacch. 19. Amph. 601. Asin. 215. Poen. III 2, 36. Sed Ritschelius (opuscul. II 570 sq. et 579 sq.) plane ostendit, etiam his locis Plautum genetivum adiectivo 'similis' adscripsisse, ut semper genetivus huic adiectivo a Plauto adiciatur[1]).

vacivos (Ter. Hor. Ov. Sall. Tac. Sen.) Bacch. 154: me vacivom virium. Pseud. 469 fac sis vacivas, Pseudole, aedis aurium.

B.

Praeterea **apud Plautum solum** cum genetivo constructa reperiuntur haec adiectiva:

argutus: Pseud. 746 ecquid argutust? malorum facinorum saepissime. (de sententia huius loci cfr. Lor. adnot.)

cumulatus: Aul. V 1, 16 'scelerum cumulatissume'.

exilis (cfr. inanis): Stich. 526 omnium me exilem atque inanem fecit aegritudinum.

falsilocus: Capt. 264 'quarum rerum te falsilocum mihi esse volo.

inopiosus: Poen. V 1, 2 dubias, egenas, inopiosas consili (scil. res).

---

[1]) Casu nimirum factum est, quod dissimilis neque c. dat. neque c. genet. coniunctum invenitur.

mendax, cui uni e numero adiectivorum verbalium quae vocantur in 'ax' exeuntium Plautus genetivum adscribit: Asin. 855 'si huius rei me mendacem esse inveneris'.

pollens, quod semel cum genetivo compositum legitur eandemque sententiam prae se fert atque 'potens': Curc. 114 vinipollens lepidus Liber.

potior eodem sensu atque 'pollens, potens' genetivum assumit: Truc. I 1, 27 sin alter altri[1]) potior est; Cas. I 1, 24. Quam tu eius potior fias.

sanus: Trin. 454 satin tu sanu's mentis aut animi tui.

C.

Huc accedunt **participia praesentis**, quae vim et potestatem adiectivorum ita induunt, ut genetivum adsciscant[2]).

amans: Asin. 857 amantem uxoris maxume; Asin. 591 quia tui amans abeuntis egeo.

cupiens = cupidus: Mil. 997; Amph. 132; Mil. 1049; 1165; Poen. prol. 74; Bacch. 278 domi cupientes.

egens: Bacch. 651 egens consili servos. Rud. 274 egentes opum.

gerens: Truc. I 2, 43 faciunt rei male gerentes; Truc. II 1, 13 miserere nos hominum rei male gerentum; neque enim causa videtur esse, cur cum Bothio, quem Speng. sequitur, 'rei', quod codd. optimi BCD praebent, in 'rem' commutemus.

indigens: Rud. 943 tui sermonis sum indigens. Rud. 642 tui indigentes auxili; Cist. I 1, 31 suarum opum nos volunt esse indigentes.

persequens: Cas. II 1, 12 sq. flagiti persequentem.

sciens: Cas. prol. 63 sciens eius mater ei dat operam = eius rei conscia ac gnara.

---

[1]) 'altri' genetivus ut 'ulli' Truc. II 2, 38. cf. de formandis genetivis: Buecheler: Lat. Declination.

[2]) De vi huius genetivi cf. Haasii adnot. 527 ad Reisig. l. c.

Caput III.

VERBA.

Etiam verborum, quibus Plautus genetivum adiungit, numerus est permagnus. Genetivo autem notionem et vim, quae verbo continetur, accuratius explicat et definit. Quo in genere cum magna libertate utatur, id quod proprium sermonis vulgaris est, etiam verbis quibusdam, quae a posterioribus alio modo construi solent, genetivum addit.

I. Genetivos praedicativos

i. e. genetivos, qui in praedicati loco positi sunt[1]), haec verba adsciscunt:

esse: 1. Ad significandum possessorem alicuius rei vel personae genet. vel pron. possess. adduntur plurimis exemplis, quae quoniam res usitatissima est, proferre supersedeo[2]).

2. Saepius hic genetivus tralato quodam sensu usurpatur, ut significet: 'convenit, vel debetur alicui aliquid, aut proprium, munus, officium alicuius est'. In Plauti fabulis genetivus huius modi his locis reperitur et semper quidem genetivus personae, cum alii scriptores etiam genetivos nominum abstractorum[3]) eodem modo usurpent:

---

[1]) Ut autem hos genetivos hunc in modum explicem, eo facilius perducor, quod permulta sunt verba composita latina, ut adiectivorum numerum magnum, quae huc spectant, praetermittam, quae nullo alio modo explicari posse videntur velut ut pauca tantum afferam exempla: 'significare, sacrificare, ludificare, magnificare, laetificor, clarifico, aedifico, aequiparo, salvifico, testificor, purifico'.

[2]) cf. de origine et vi huius genetivi Kuehner: Lat. Gramm. II 1; § 86, 1. 2.

[3]) Substantiva abstracta semper in nominativo poni recte docet Guil. Votsch. l. c.

Mil. 634 nam benignitas quidem huius oppido adulescentulist; Stich. 765 sq. prostibulist autem stantem stanti savium dare amicam amico; Most 190 matronae, non meretricium est, unum inservire amantem. Nescio enim, cur: 'meretricium', quod in codd. (meretricium B a, meretritium D a, mericricium C, meretricum B b) exstat, cum Guyeto, cui Ritsch., Lor. adstipulantur, commutemus in 'meretricis'. 'Meretricium' autem cum Brixio (cf. eius adnot. Mil. 187) pro adiectivo habendum est. (cf. Cas. III 3, 22 non matronarum'st officium, sed meretricium etc.; Bacch. 41. Pol haut meretriciumst); Truc. II 4, 80 sq. (cf. Speng.); Aul. IV 1, 1; Bothii tom. III p. 555 frg. Clitell. 16 nam meretricem adstare in via solam, prostibulae sane est; Poen. III 1, 20 servoli esse duco festinantem currere; Capt. 583 est miserorum, ut malevolentes sint atque invideant bonis [1]).

3. Constructionem verbi 'esse, sequitur: **'facio'**, **'fieri'** duobus modo locis: Trin. 520 sq. ne tu illunc agrum tuom siris unquam fieri neque gnati tui; Poen. V 4, 46 tuas nos facile feceris.

4. Plautus cum verbo esse genetivum coniungit, ut indicet qualitatem [2]), quae alicuius propria sit: Most. 782 magni sunt oneris; Merc. 828 istarum esse operarum patrem; Bacch. 9 mei cognominis fuit; Poen. I 2, 35 sq. item nos sumus eius seminis mulieres; Merc. 525 generis Graecist; Capt. 887 Stalagmus quoius erat tunc nationis? Asin. 299 quot pondo ted esse; Asin. 301. Huc accedunt: Men. 575 cluentum fides quoius modi clueat = sit; Men. 221 quoius modi ei homines erunt? Trin. 552 qui quidem istius sit modi. Mil. 801 sq. ille — eius modist — cupiet miser. Pro scriptura codicis 'eiuf modi est' Ritschelius 'eius domi' cupiet miser' scribi vult. Sed Lorenzius hanc Ritschelii coniecturam sententiae huius loci repugnare docuit. Etenim 'eius domi cupiet' nihil aliud potest significare nisi hoc: optat Pyrgopolinices possidere domum Acroteleutii i. e. meretricis, quae uxorem Periplecomeni, vicini militis, se esse simulat. Neque vero hae aedes dotales commemoratae sunt nisi in extrema fabulae parte. In ea autem fallaciae et doli explicantur, quibus Palaestrio militem gloriosum decipere studet. Itaque ei, qui fabulae agendae interfuerunt, scire non potuerunt, quid haec locutio 'eius domi' hoc loco usurpata sibi vellet. Praeterea autem Madvigius (advers. crit. II p. 10), cuius sententiam Brixius probat, sagaciter ostendit, 'eius modist' in parenthesi positum esse, sicut Amph. 592 'mecum argumentis puta' alia, de quibus cf. Brixii adnot. Itaque necesse non est, a codicum lectione 'eius domi est' recedere.

Huc referri potest etiam: Pers. 648 Quoius modi is, dic, in populo habitust?

5. Saepius autem genetivus qui dicitur **pretii** cum verbis **'esse, facio, pendo, aestumo, existimo, censeo, consulo'** coniungitur ad indicandam pretii significationem generalem, non certam atque definitam. Genetivi autem huius modi apud Plautum hi reperiuntur:

quanti: *esse*, Merc. 270. Bacch. 821. 1135. Capt. 51. 145. Rud. 155. Pers. 596 (impers.) quantist hominem amicum adhibere; *facio*, Amph. 508; Pseud. 942 codd. sic exhibent: 'taceo set quam tibi dona dabo et faciam B C, quā tibi D. Quibus e vestigiis Kiesslingius (Rhein. Mus. XXIII p. 425) eruit hanc versus speciem: 'set quanti [te] faciam', quam emendationem Lorenzius probat. Propius vero ad huius loci sententiam mihi accedere videtur Ritschelii coniectura: 'quid tibi bene faciam'. Etenim si fortasse Plautus haec verba non scripsit, tamen concedendum est, ea Plautina atque huius loci sententiae apta esse, cum hoc loco de beneficiis agi ex iis, quae sequuntur, plane apparet. *pendo*, Truc. II 4, 44 quanti sese penderem.

tanti: *esse*, Bacch. 821 tantist quantist fungus putidus; *facio*, Merc. 15 sq. humanas querimonias non tanti facere, quid velint, quid non velint.

tantidem: Merc. 315 tantidemst quasi.

multi: Rud. 380 sq. verum ecastor ut multifecit.

magni: *facio*, Pseud. 579. Asin. 114. 214. 407; *pendo*, Pseud. 221. Stich. 135. Curc. 262. Asin. 460.

pluris: *esse*, Merc. 514. Asin. 435. Truc. II 6, 8. Bacch. 630; *facio*, Trin. 34. Curc. 580.

[1]) Compluribus locis pro genetivo nominis neutrum adiectivi eodem sensu usurpatur: Pseud. 289 non lenoniumst; Bacch. 41 pol haut meretriciumst. Cas. III 2, 22. Most. 190. (cf. supra memorata). Saepius etiam substantiva 'mos, officium, ingenium' adduntur, ut res clarior atque effusior sit, velut Stich. 297; Aul. 589; Cas. III 3, 22; Pseud. 913; Stich. 626; Trin. 174; Capt. 206; Merc. 513.

[2]) Quibus genetivis semper, id quod natura eorum postulat, attributum adicitur.

maxumi: *esse,* Trin. 813 sq. tum, quod maxumist, adferre, non se petere hinc dicit; *facio,* Cas. prol. 2 fidem qui facitis maxumi.

plurumi: *pendo,* Bacch. 207 immo unice unum plurumi pendit.

parvi: *esse,* Pers. 690 nil mihi tam parvist quin; *facio,* Mil. 1351. Rud. 697. Aul. I 2, 34; *pendo,* Bacch. 558. Rud. 650. Trin. 102. Both. III p. 568 frg. 24 sacrum an profanum habeas, parvi penditur.

minoris: *facio,* Most. 1146. Epid. 522. 661; *pendo,* Most. 215. 883.

minumi: Pseud. 269 eos minumi facit.

parvi preti: *esse,* Trin. 257[b] preti quam sit parvi; Aul. IV 10, 60.

minumi preti: Epid. 501 sq. fateor me omnium hominum esse Athenis Atticis minumi preti. Asin. 858 (hoc loco 'esse' supplendum est).

quantivis iamst preti: Pers. 625.

non nauci: *esse,* Most. 1041 nauci non erit. Both. III p. 562. Parasit. pig. 2 postremo ambo sumus non nauci; *facio,* Bacch. 1102 hoc servum meum non nauci facere.

terunci = flocci: Capt. 477 neque ridiculos iam terunci faciunt.

aequi: Mil. 784 aequi istuc faciam.

flocci: *facio,* Men. 423 neque ego maneo illum neque flocci facio. Men. 994 cave quisquam, quod illic minitetur, vostrum flocci fecerit. Epid. 348. Most. 808. Curc. 713. Truc. II 7, 45. Rud. 47. 795. Cas. II 5, 24. Stich. 285. Truc. IV 2, 56. Trin. 211. 918. 992. Rud. 782; *pendo,* Both. III p. 568 frg. 30 flocci pendo quid rerum geras.

Saepissime autem 'nihili' sic positum reperitur velut: *esse,* Pseud. 239. 1104. Asin. 859; *facio,* Pseud. 1103. Curc. 218. Mil. 1409; *pendo,* Trin. 607. Most. 245 etc. etc. Etiam Truc. II 6, 58 'me nihili pendit' recte edidit Spengelius; pro 'nihili' B C praebent 'mali'; vulgo legitur 'vili'.

'existumo' unus Plautus atque is quidem paucis locis cum genetivis pretii conectit:

flocci: Most. 76 neque quod dixi, flocci existumat.

parvi: Capt. 682 'dum ne ob malefacta peream, parvi estumo' in B legitur; Ritschel., cui Brixius assentitur, ex analogia versus Most. 76 metri gratia scribit et recte quidem: 'parvi existumo'; Pers. 353 codd. B C exhibent: pluris existimo, A 'PLURISIAESTIMO'. Atque Pylade duce Ritschelius, quem editt. recentiores sequuntur, quippe cum 'pluris existimo' metrum vitiet, legendum esse censet: 'pluris *aestumo*'. Semel *censeo* quoque eadem significatione cum genet. 'quanti' coniungitur: Rud. 1272 dic ergo, quanti censes? Item semel cum 'boni' *consulo*: Truc. II 4, 75 quicquid autem erit, boni consulas.[1])

6. Constructionem verborum, de quibus modo dixi, sequuntur verba: **'emo, vendo, conduco. indico, destino'.** E quibus

emo hos genetivos adsciscit:

quanti: Pseud. 1170 quanti te emit? Merc. 221. 514. Most. 822. Rud. 1405. Epid. 51; ibid. 295 sq. quanti emi minumo potest? Ad quadraginta fortasse eam posse emi minumo minas. (Animadverte in priore versu et genetivum et ablativum pretii additum esse. Semper enim Plautus ablativum pretii 'minumo' his verbis adiungit, cf. Epid. 296. Pers. 590). Poen. IV 2, 74 sq. quanti? (scil. emit).[2])

tanti: Men. 490 tanti, quanti poscit, vin tanti illam emi? Poen. IV 2, 76 tanti (scil. emit).

vendo: Merc. 425 ne minoris vendas, quam ego emo.

conduco: Pseud. 1184 quanti conductast? (scil. chlamys).

indico: Pers. 575 modo sciam, quanti indicet. Pers. 661 qui datur, tanti indica.[3])

destino: Most. 646 quid eas quanti destinat?

Item conectuntur semel cum genetivo eiusdem generis:

subigo: Pseud. 808 sq. me nemo potest minoris quisquam nummo, ut surgam, subigere.

perdoceo: Pseud. 875 quanti istuc unum me coquinare perdoces?

---

[1]) 'habeo' Cas. frg. I. Both. III p. 551 cum 'flocco' coniungitur: 'ille habebit flocco iam homo lumbos meos'.

[2]) Most. 905 num nimio emptae tibi videntur?

[3]) Pers. 590 indica minumo daturus qui sis qui duci queat; de forma 'qui' cf. Buecheler l. c. p. 76 adnot. 6.

libero: Most. 973 quanti? (scil. liberavit). — triginta talentis — *μὰ τὸν Ἀπόλλω,* set minis.

7. Genetivus pretii etiam verbo impers. **'refert'** adicitur, ut 'quanti' alicuius referat aliquid fieri indicetur: Mil. 881 sq. meretricem conmoneri, quam sane magni referat, mihi clamst. Pseud. 1085 nam quanti refert ei nec recte dicere. Pseud. 102 non pluris refert quam. Rud. 966 nihilo pol pluris tua hoc quam quanti illut refert mea. Bacch. v. 518 in codicibus valde corruptus et vario modo restitutus est. Exstant enim in codice A litterae TUMCUMNIHILOPLU et post quindecim circiter litterarum spatium REFERT (quamquam trium primarum lacerae reliquiae visae sunt ad RIS spectare, LA autem apparere medio fere loco); in reliquis codicibus: 'Tum cum mihi nihilo pluris referet (nisi quod post 'mihi' aliquid erasum in B, quom F, cum Z, nichilo D). Ritschelius autem satis libere versum restituit sic: 'Tum quóm nihilo plus ad suam rem illut réferet' et simili modo Hermannus: 'Tum quom nihilo plus ad meam rem refferet'; melius Camerarius: 'Tum cum mea illud nihilo pluris referet'; Haasius: 'Tum cum mea mihi nihilo pluris referet'; Pylade duce Bothius: 'Tum quom sibi ea res nihilo pluris referet'; cum hi locutionem 'pluris referre', quam Plautum saepius usurpare iam vidimus, servare studeant. Sed simplicius et observationi Ritschelii aptius est, ut expleta lacuna, quae in A apparet, scribamus 'tum quóm nihiló plurís blandíri réferét'. Etenim litterae '*RIS* B*LA*NDIRI' vestigiis in A servatis bene respondent et spatium vacuum explent. Huc accedit, quod hoc loco de verbo 'blandiendi agi v. 517 docet.

8. His aptissime subiungi possunt hae locutiones [1]).

operae est [2]): Pseud. 377. Merc. 10. Cas. V 2, 5. Amph. 151. Truc. IV 4, 30; operae non est: Mil. 252. 818. Merc. 917. Merc. 286 'si videam tibi operam esse aut otium'. Ita enim cum Ritschelio, qui codd. sequitur, hunc locum scribendum esse persuasum habeo. Neque enim esse videtur, cur cum Brixio (cf. Mil. 252 adnot.) codicum lectionem respuamus et 'operam' commutemus in 'operae'. Nam accusativus 'operam' hoc loco propter accusativum 'otium' qui sequitur scriptus videtur.

---

[1]) cf. de explicat. horum genetivorum E. Hoffmanni commentationem in Fleckeiseni annall. ann. 1874 p. 556.

[2]) cf. p. 21 'magis'.

Etiam 'frugi bonae', quod saepius c. 'esse' coniunctum est a Plauto, genetivum intellegendum esse recte contendere videtur Brixius: adnot. ad Capt. 953.

Cas. II 2, 27 quae habet partum ei haut commodist.

Merc. 553 sq. id iam lucrist, quor vivas (cf. Pseud. 267. Most. 801).

lucri facere: Most. 354 qui facere argenti cupiat aliquantum lucri. Pers. 668. 713. Poen. III 5, 26. Truc. III 2, 22. Bacch. 859 nihil est, lucri quod me hodie facere mavelim; — sic enim iungendum videtur (gewinnen).

conpendi facere: Bacch. 183 conpendi verba multa iam faciam tibi. Capt. 965 fieri dicta conp. volo. Asin. 307 verbivelitationem fieri conp. volo. Pers. 471. Pseud. 1141. Most. 60. Poen. I 2, 138. Truc. II 4 25 sq. (abkürzen.)

facere damni mavolo' legitur Merc. 419 (cf. Pseud. 440. Bacch. 1032. Asin. 182. — Merc. 237.) (schaden).

sumpti facere: Cas. II 7, 2 restim sumpti fecerim (cf. Trin. 250.) (aufwenden).

Huc referre non dubito etiam hos genetivos: Poen. III 3, 57 trecentos nummos Philippos portat praesidi (cf. Rud. 683 nisi quid re praesidi adparas); Trin. 1158 spondeo et mille auri Philippum dotis (als Mitgift). Merc. 703 em, quoi decem talenta dotis detuli. Truc. IV 3, 71 sex talenta magna dotis demam pro istac inscitia. Cist. II 3, 19 sq. unde tibi talenta magna viginti pater det dotis. Pers. 394 dabuntur dotis tibi inde sescenti logei.

Cas. II 3, 40 Quoi homini hodie peculi nummus non est plumbeus (als Vermögen).

II. Genetivos adverbiales

i. e. genetivos, quasi adverbii locum obtinentes, quibus verbo qualitas quaedam additur, haec verba assumunt:

A.

Sicut alii scriptores latini Plautus genetivum adiungit his verbis:

accuso (Liv. Ov.): Amph. 869 sq. quam vir insontem probri Amphitruo accusat.

ango: Epid. 326 qui angas te animi.

arguo: Amph. 882 sq. ita me probri, stupri, dedecoris a viro argutam meo; Amph. 897 sq. me miseram qui arguit stupri, dedecoris. cf. adi. 'argutus', quod fortasse huc referendum est.

condemno: Most. 1099 tanto apud iudicem hunc argenti condemnabo facilius.

conmemini[1]) (Gell.) semel tantum locativum admittit: Trin. 1027 conmeminit domi.

conmiserescit (Ter.): Rud. 1090 ut ted huius conmiserescat mulieris.

conmoneo: Rud. 743 mearum me apsens miseriarum conmones[2]).

conpleo: Men. 901 qui me conplevit flagiti et formidinis. Amph. 470 sq. erroris ambo ego illos et dementiae conplebo etc. Amph. 1016 corpus suum stupri conpleverit.

discrucior (Ter.): Aul. I 2, 27 discrucior animi.

egeo[3]): (cf. participia) Amph. 819 'saltem tute si pudoris egeas, sumas mutuom'; 'tute' enim, quod Ussingio teste codd. praebent, cum Ussingio retinendum esse puto neque cum Fleckeiseno in 'tuipte' commutandum. Asin. 591 quia tui amans abeuntis egeo. Mil. 1033 quia tis egeat.

excrucio (Ter.) semper cum genetivo 'animi' coniunctum reperitur: Mil. 720. 1068. 1280. Epid. 390. Rud. 388. 399.

fallor (Ter. Lucr.): Epid. 239 nec sermonis fallebar.

incuso (Tac.): Truc. I 2, 58 qui alterum incusat probri.

indigeo: Cist. I 1, 33 suique omnium rerum nos indigere.

inpleo: Merc. 795 suspitionum inplevit me. Aul. III 6, 15 sq. qui mihi omnis angulos furum inplevisti.

---

1) 'conmemini' accusativum assumit: Pseud. 696 omnia. Poen. III 4, 16 istaec — omnia. Curc. 493 haec. Amph. 254 hoc. Mil. 914 quae.

2) 'conmoneo' c. accusativo substantivi neutri generis construitur: Pseud. 150 officium vostrum ut vos malo cogatis conmonerier' sicut admoneo Aul. II 1, 24 te id admonitum advento. Verb. simplex 'moneo' apud Plautum numquam eandem constructionem, quam supra explicavimus, induit. Contra saepe cum neutro pronominis coniungitur ut Pseud. 915. Capt. 53. all., semel c. substant.: Stich. 58 ut moneatur semper servos homo officium suum.

3) 'egeo' semel sibi pronomen neutri generis in accusativo positum adsciscit: Men. 121 'nec quicquam eges'.

insimulo verbo septies genetivus 'probri' adscribitur: Mil. 396. 392. 508 quin concubinam erilem insimulare ausus es probri pudicam meque summi flagiti. Mil. 364 sq. qui probri me maxumi innocentem falso insimulavit. (Non recte a nonnullis 'probri' cum adiectivo 'innocens' coniungitur). Amph. 477. 887. 1043[1]) (Ussing).

memini[2]): Capt. 800 faciam ut huius die locique meique semper meminerit. Bacch. 206 ecquidnam meminit Mnesilochi? Pers. 494 mei memineris. Pers. 658 satin ut meminit libertatis.

mihi in mentem venit[3]): Rud. 685 sq. miserae [quom venit] in mentem mihi mortis.

miserescit[4]) (Ter.): Trin. 343 ut ita te aliorum miserescat, ne tis alios te misereat.

misereo (Att. Lucr. Verg. Enn. — Cic. misereor).

verborum impersonalium 'miserescit, conmiserescit etc.' structuram accipit verbum 'misereo': Truc. II 1, 13 piaculum'st miserere nos hominum rei male gerentum. Pseud. I 3, 144 (378) qui me tui miserere postulas. Capt. III 5, 107 (764 sq.) neminis miserere certumst, quia mei miseret neminem. Plautum vero tantum hoc verbo 'miser*eo*' neque verbo 'miser*eor*' uti iam

---

1) Si 'generaliter' crimen significatur, accusativus adscribitur: insimulo: Amph. 859; arguo: Amph. 885. Men. 940; accuso: Trin. 96. — Praeterea memorabilia videntur haec exempla: Amph. 820 istuc facinus quod tu insimulas; Aul. II 4, 9. Pers. 129; Merc. 422 tuam autem accusari fidem. ibid. 523 operam accusari non sinam meam. Epid. 549.

2) 'memini' verbo frequenter Plautus accusativos accommodat neque solum substantivorum neutri generis ut Mil. 354 praecepta; ibid. 1378 officium. Poen. V 2, 102 sq. nomina etc. Both. III p. 555 frg. Clit. 17 et pronominum neutri generis velut Men. 1111 quid; Capt. 396 quae Merc. 282 hoc; istuc — istaec etc. Pers. 186 memini 'omnia'; sed etiam accusativum 'rem' cum 'memini' coniungit: Merc. 1011. Cist. I 2, 29 Uno autem loco sicut 'mihi in mentem venit' huic verbo praepositionem 'de' adscribit: Asin. 939 de palla memento (in Bezug auf).

3) 'in mentem venit' personaliter construitur cum nominativo pronominum et substantivorum: Trin. 747 omnia istaec veniunt in mentem mihi. Poen. V 2, 126. Cas. II 6, 27. Trin. 1054. Epid. 638. Aul. II 2, 49. Merc. 922. Pseud. 134. — Huc accedit, quod semel Plautus praepositionem 'de' admittit: Most. 271 in m. venit de speculo malae.

4) cf. hanc huius verbi constructionem: Epid. 526 'Si quid hominist miseriarum, quod miserescat miser ex animo'.

recte adnotavit Spengelius ad Truc. II 1, 13 'miserere scribendum erat efflagitantibus numeris; praeterea valde dubito, num Plautus praeter 'miseret me' etiam 'misereor' in usu habuerit. Nam Pseud. I 3, 144 'qui me tui misereri postulas' facile 'miserere' scripseris et Capt. III 5, 107 'neminis misereri certumst, quia mei me miseret neminem' eo confidentius 'miserere' (scil. me) repono, quod inter se opponuntur '(me) miseret neminis' et 'mei miseret neminem', quo in genere non solet variare sermo Plautinus'.

miseret: Pseud. 308 nilne [mei] miseret te. ibid. 1324 neque te mei tergi miseret. Stich. 329. Most. 985. Bacch. 1044. Trin. 343. 431. Capt. 764 sq. Curc. 518. Rud. 277. Cist. IV 2, 105. Trin. 430 me eiius miseritumst.

obliviscor[1]): Trin. 1018 memoriae esse oblitum; altero loco Amph. 1024 nisi [mei] me esse oblitum. Fleckeisenus 'mei' coniectura inseruit.

paenitet: Stich. 551 si duarum paenitebit. ibid. 711 si horum quae adsunt paenitet. Truc. II 4, 77 ut quoius me non paeniteat.

pendeo: animi pendeo: Merc. 127. Merc. 166. Epid. 544.

piget: Trin. 127 neque facti piget.

potior[2]): Rud. 1337 ubi viduli sies potitus. Amph. 187 ut salvi poteremur domi. Asin. 554 sq. in codicibus sic legitur: eae nunc legiones copiae exercitusque eorum | Vi pugnando periuriis nostris, eugae, potiti. Fleckeisenus autem versum 555 sic restituit: 'pugnando vi periuriis nostris, euge, potiti'; sed ipse hoc postea improbavit (annall. phill. CVII p. 502) et versum (antecedentem) excidisse putat. Equidem praefero lectionem Buecheleri (annall. phill. 1863. p. 772) 'eae nunc legiones, copiae exercitusque eorum | vi pugnando periuriis nostris, fugae potiti'.

---

[1]) 'obliviscor' coniungitur cum accusativo nominum neutri generis: Bacch. 790 oblitus sum omnia. Trin. 1014 condalium. Truc. II 1, 24; Asin. 226 haec; Poen. prol. 40 quod; Cas. I 1, 16 officium meum. Praeterea: Mil. 1359 'muliebres mores discendi, obliviscendi stratiotici' legitur.

[2]) 'potior' praeterea a) accusativum assumit: Asin. 324. Rud. 190. (Curc. 170) b) ablativum sibi adsciscit: Pseud. 1071 si ille illac hodie sit potitus muliere. Asin. 916 in partem hac amanti ut liceat ei potirier.

pudet: Cum genetivo coniunctum hoc verbum duplicem significationem induit. Etenim 'non res tantum et facta, quibus pudor in nobis excitatur, verbo 'pudere' in genetivo apponuntur eorumque nos pudere dicimus' (Lindem. adnot. ad Trin. IV 2, 67): Bacch. 1016 quoius me nunc facti pudet. Truc. II 2, 25. (ibid. IV 2, 51?). Asin. 933. — sed etiam 'personae quarum reverentia pudorem nobis inicit': Trin. 912 deum me hercle atque hominum pudet. Bacch. 379 neque mei neque te tui intus puditumst factis quae facis. Trin. 431 miseret te aliorum, tui nec miseret nec pudet[1]).

taedet: Cas. I 1, 54 taedet sermonis tui; Most. 316 ita me ibi male convivi sermonisque taesumst.

teneo: Truc. I 2, 30 manufestam mendaci, mala, te teneo. Amph. 1045 (Ussing) manifestum hunc obtorto collo teneo furem flagiti.

B.

Praeterea Plautus solus genetivum adiungit his verbis:

astringo: Rud. 1260 et ipsum sese et illum furti astringeret. Poen. III 4, 27 homo furti sed astringit.

appello: Holtzius l. c. p. 338 ex frgm. Cist. Ang. Mai p. 487 adnotat: quid si adeam atque appellem mali damnique?

capto: Amph. 821 Tu si me inpudicitiai captas.

credo: Asin. 459 qui [huic] omnium rerum ipsus semper credit. Truc. II 2, 52 quisquam homo mortalis posthac duarum rerum creduit. Bacch. 504 nam mihi divini nunquam quisquam creduat. Amph. 672 nunquam edepol tu mihi divini creduis post hunc diem (cf. Asin. 854).

cupio: (cf. part.) Mil. 964 quae cupiunt tui. (sed 'te cupio' Mil. 1050. Curc. 305).

deprehendo: Bacch. 950 doli ego deprensus sum.

desipio: Epid. 158 desipiebam mentis.

---

[1]) Verbis impersonalibus pro genetivo etiam nominativus adicitur rei, si neutrum pronominis exstat. piget: Pseud. 281. Stich. 122; saepissime pudet: Mil. 624. Pseud. 281 all. — paenitet uno loco nominativum nominis fem. assumit: Stich. 51 et me quidem haec condicio nunc non paenitet', quem locum Plautinum esse Ritschelius negat.

distaedet: Amph. 503 edepol haut quod tui me neque domi distaedeat.

fastidio: Stich. 334 mein fastidis, propudiose? Aul. II 2, 67 fastidit mei.

inicio manum: Truc. IV 2, 49 te manum iniciam quadrupuli. Pers. 71 tantidem ille illi rursus iniciat manum.

levo: Rud. 247 ut me omnium iam laborum levas.

oppleo[1]): Truc. II 6, 42 multo ecastor magis oppletis opu'st tritici granariis.

participo[2]): Cist. I 3, 17 paternum servom sui participat consilii = participem reddit.

perdo verbi 'condemno' constructionem accipit et cum genetivo 'capitis' iungitur. Quae locutio quasi in formulam abiit: Bacch. 489 sq. 'egone ut illam mulierem capitis non perdam'. Asin. 132. Mil. 371.

potio = in potestatem alicuius rei vel personae redigere: Amph. 178 cum nunc potivit pater servitutis', et passive usurpatum eodem sensu: Capt. 92 postquam meus est rex potitus hostium = captus est ab hostibus; ibid. 144. 762. Epid. 532. ibid. 562.

prehendo: (ertappen) Bacch. 696 quam mendaci prendit manufestum modo.

saturo: Stich. 18 haec res vitae me, soror, saturant.

---

[1]) Ablativus quoque hoc verbo sicut 'inpleo, conpleo' adscribitur. oppleo: Aul. I 2, 6. Truc. II 6, 41. Pseud. 588. Aul. IV 6, 9; inpleo: Aul. III 3, 6 postquam inplevisti fustibus istorum caput. Cas. I 1, 35. Merc. 409. conpleo: Cist. I 2, 9. Aliter hoc verbum usurpatur: Poen. V 4, 6 arabius murrhinusque omnis (Acc.) odor conplebat.

[2]) Comparationis causa afferre liceat hos duo locos: Mil. 232 Auden participare me quod commentu's. Mil. 262 sq. non potuit, quin sermone suo aliquem familiarium participaverit de amica eri.

VITA.

Natus sum Augustus Albinus Schaaff a. d. X. Cal. Aug. a. h. s. LVI in oppidulo Saxo-Borussorum nomine Zoerbig, patre Augusto, matre Alwina e gente Thielicke, quos superstites adhuc veneror. Fidem profiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis in patriae meae schola urbana imbutus autumnali tempore a. h. s. LXVIII adii orphanotrophei Halensis scholam latinam, quae tum auspiciis viri doctissimi et humanissimi Th. Adleri florebat. Maturitatis testimonio instructus autumno a. h. s. LXXVI civibus universitatis Fridericianae Halensis ascriptus sum. Per octo autem semestria praeter cetera studiis philologicis et theologicis operam navavi et usus sum praeceptoribus vv. dd. Beyschlag, Dittenberger, Erdmann, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Kramer, Riehm, Schlottmann, Schum, Ulrici, Wolters, Zacher I, Zacher II. Seminarii philologici exercitationibus per tria semestria interfui; sem. paedagogici sodalis fui ordinarius ter sex menses. Praeterea Heydemannus, ut societati archaeologicae quatuor semestria, Schum, ut per sex menses exercitationibus palaeographicis, Zacherus I, ut societati theodiscae duo semestria interessem, benigne permiserunt. Quibus omnibus viris in primisque Heydemanno et Keilio, qui prae ceteris studiorum meorum fuerunt moderatores et adiutores, gratias hic ago quam maximas.

Sententiae controversae.

I.

Iuvenalis extremis temporibus imperatoris Claudii natus est.

II.

Mercurius Bacchum infantem ferens Praxitelis nobilissimi opus est.

III.

Plaut. Mil. glor. 217 Hauptii emendatio: 'Tibi dico: e*h*o cantherie, *me hau*scis te adloqui?' praeferenda est.

IV.

Aristoph. Thesmoph. 811 sq. legendum est: '*οὐδ' ἂν κλέψασα γυνὴ ζεύγει κατὰ πεντήκοντα τάλαντα ἐς πόλιν ἔλθοι τῶν δημοσίων*'.